



tiquitatibus operam posuit, R. Mosi ben MAIMON, qui in praestantissimo Hebraearum Antiquitatum systemate ita hanc in rem commentatus est: \*)  
 אין מושחין ממנו לרורות אלא כהנים גדולים ומשוח  
 מלחמה ומלכי בית דוד. *Non ungebant ex eo quemquam in saecula  
 praeter pontifices M M. unctum belli, et reges domus Davidicae.*

E quibus uerbis summam huius rei dignitatem, nec non sanctitatem iudicari posse existimauimus. Quo magis miramur partim antiquissimorum Hebraeorum in ritu hoc solemnissimo accuratius, et, quod rei dignitas postulare uidebatur, solidius describendo negligentiam, partim etiam saeculi nostri in contemnenda huius ritus, tanquam rei, quae nullius sit momenti, uberiori cognitione ac peruestigatione insolentiam. Nec omnino a sanctiorum literarum studio remotum putauimus, post egregios summorum uirorum labores in interpretatione ritus antiquissimi, collocatos, si quaedam ex eorum scriptis repeteremus, quaedam modeste sub examen reuocaremus, et nonnihil ad pleniorum totius rei historiam adderemus.

## II

NEC AD OMNES REGES PERTINUIT VNCTIO OLEO  
 SACRO PERAGENDA, NEC IN IIS, AD QUOS  
 PERTINUIT, OMNIBVS PERACTA EST

MEMORABILIS est historia de summo pretio, in quo habitum est oleum sacrum inter ueteres Hebraeos. Idque partim e sanctitatis gradu, quem tenuit inter ipsos oleum sacrum, partim ex usu illius perraro efficitur. Grauius peccatum ignorat gens Hebraea, quam illud, quod solebat ultimo uindicari supplicio, כריתות i. e. *excisio animarum*, dicto. Talia triginta sex e codice sacro collegit et coniunctim enumerauit insignis Hebraeorum in conscribendo systemate iuris uniuersi tam sacri quam ciuilibus diligentia,

\*) הלכות כלי המקדש Cap. I. p. 455. editionis Venetae maioris 1678.